

[1] Hoc quam vĕrum sit, admonĕre tĕ exemplō domesticō volō. Dīvus Augustus fuit mitis pŕinceps, sī quis illum ā pŕincipātū suō aestimāre incipiat; in commūnī quidem rĕpūblicā gladium mōvit. Cum hoc aetātis esset, quod tū nunc es, duodĕvīcĕnsimum ĕgressus annum, iam pūgiōnĕs in sinum amīcōrum absconderat, iam īnsidiīs M. Antōnīi cōsulis latus petierat, iam fuerat collĕga pŕoscriptiōnis.

[2] Sed cum annum quadrāgĕnsimum trānsisset et in Galliā morārĕtur, dĕlātum est ad eum indicium L. Cinnam, stolidī ingeniī virum, īnsidiās eī struere; dictum est, et ubi et quāndō et quemadmodum adgredi velle; ūnus ex cōnsuciīs dĕferĕbat.

[3] Cōstituit sĕ ab eō vindicāre et cōnsilium amīcōrum advocārī iussit. Nox illī inquiĕta erat, cum cōgitāret adulĕscentem nōbilem, hōc dĕtractō integrum, Cn. Pompĕi nepōtem, damnandum; iam sĕ unum hominem occīdere nōn posse, cum M. Antōniō pŕoscriptiōnis ĕdictum inter cĕnam dictāset.

[4] Gemĕns subinde vōcĕs variās ĕmittebat et inter sĕ contrāriās: ‘Quid ergō? Ego percussōrem meum sĕcūrum ambulāre patiar mĕ sollicitō? Ergō nōn dabit poenās, quī tot cīvilibus bellīs frūstrā petītum caput, tot nāvālibus, tot pedestribus proeliīs incolume, postquam terrā marīque pāx parāta est, nōn occīdere cōstituat, sed immolāre?’ (nam sacrificantem placuerat adorīrī).

[5] Rūrsus, silentiō interpositō, māiōre multō vōce sibi quam Cinnae īrāscĕbātur: ‘Quid vīvis, sī perīre tĕ tam multōrum interest? Quis fīnis erit suppliciōrum? Quis sanguinis? Ergō sum nōbilibus adulĕscentulīs expositum caput, in quod mucrōnĕs acuunt; nōn est tantī vīta, sī, ut ego nōn peream, tam multa perdenda sunt.’

[6] Interpellāvit tandem illum Līvia uxor et: ‘Admittis’ inquit ‘muliebre cōnsilium? Fac, quod medicī solent, quī, ubi ūsitāta remedia nōn pŕocĕdunt, temptant contrāria. Sevĕritāte nihil adhūc pŕofĕcistī; Salvīdiĕnum Lepidus secūtus est, Lepidum Mūrĕna, Mūrĕnam Caepiō, Caepiōnem Egnātius, ut aliōs taceam, quōs tantum ausōs pudet. Nunc tempta, quōmodō tibi cĕdat clĕmentia; ignōsce L. Cinnae. Dĕpŕensus est; iam nocĕre tibi nōn potest, pŕodesse fāmae tuae potest.’

[7] Gavīsus, sibi quod advocātum invĕnerat, uxori quidem grātiās ĕgit, renuntiārī autem extemplō amīcis, quōs in cōnsilium rogāverat, imperāvit et Cinnam ūnum ad sĕ accersivit dīmissisque omnibus ĕ cubiculō, cum alteram Cinnae pōnī cathedram iussisset: ‘Hoc’ inquit ‘pŕimum ā tĕ petō, nĕ mĕ loquentem interpellĕs, nĕ mediō sermōne meō pŕoclāmĕs; dabitur tibi loquendi līberum tempus.’

[8] Ego tĕ, Cinna, cum in hostium castrīs invĕnissem, nōn factum tantum mihi inimīcum sed nātum, servāvī, patrimonium tibi omne concessī. Hodiĕ tam fĕlīx et tam dīves es, ut victō victōrĕs invideant. Sacerdōtium tibi petentī praeteritīs complūribus, quōrum parentĕs mĕcum militāverant, dedī; cum sic dĕ tĕ meruerim, occīdere mĕ cōstituiistī.’

[9] Cum ad hanc vōcem exclāmāset procul hanc ab sĕ abesse dĕmentiam: ‘Nōn praestās’ inquit ‘fidem, Cinna; convĕnerat, nĕ interloquereris. Occīdere, inquam, mĕ parās’; adiĕcit locum, sociōs, diem, ōrdinem īnsidiārum, cui commissum esset ferrum.

[10] Et cum dĕfīxum vidĕret nec ex conventiōne iam, sed ex cōnsientiā tacentem: ‘Quō’ inquit ‘hoc animō facis? Ut ipse sīs pŕinceps? Male meherculĕs cum populō Rōmānō agitur, sī tibi ad imperandum nihil praeter mĕ obstat. Domum tuērī tuam nōn potes, nūper lībertīnī hominis grātiā in pŕivātō iūdicīō superātus es; adeō nihil facilius potes quam contrā Caesarem advocāre. Cĕdō, sī spĕs tuās sōlus impediō, Paulusne tĕ et Fabius Māximus et Cossī et Servīlīi ferent tantumque agmen nōbilium nōn inānia nōmina praefereant, sed eōrum, quī imāginibus suīs decōrī sint?’

[11] Nē tōtam eius ōrātiōnem repetendō magnam partem volūminis occupem (diūtius enim quam duābus hōrīs locūtum esse cōstat, cum hanc poenam, quā sōlā erat contentus futūrus, extenderet): ‘Vītam’ inquit ‘tibi, Cinna, iterum dō, prius hostī, nunc īnsidiātōrī ac parricīdae. Ex hodiernō diē inter nōs amīcītia incipiat; contendāmus, utrum ego meliōre fidē tibi vītam dederim an tū dēbeās.’

[12] Post hoc dētulit ultrō cōsulātum questus quod nōn audēret petere. Amīcīssimum fidēlīssimumque habuit, hērēs sōlus illī fuit. Nūllīs amplius īnsidiīs ab ūllō petītus est.